

nemo amplius fidebat, usus horum banchorum fere in defuetudinem abiit, quibusdam tamen in Emporiis adhuc vigent, publicâ Magistratus autoritate constituta, quorum celeberrima extant Venetiis, Amstelodami, Hamburgi &c.

Litteræ cambii quoque dicuntur ex eo, quod cambiatur §. 7. pecunia pro litteris, neque per hoc videtur prodigus mercator, dummodo is, à quo recipit litteras sit solvendo, quia hæ litteræ postmodum easdem pecunias cum multo fœnore restituant, ut ipsi mercatores optimè nôrunt.

DISSERTATIO II.

De Origine & Progressu Cambiorum.

Habitâ vocabulorum in præsentī frequentius occurrentium Etymologiā non incommodè me facturum arbitror, si de cambiis tractaturus rem ipsam à fonte atque origine accersero, idque præcipuè, ne quis falsâ perſuasionē inductus, jus quasi singulare, utpote Juri communi in plurimis contrarium rejiciat, & de eo verba facere indignum esse autumet.

Est enim cambium, quo hodie utimur, contractus antiquis §. 1. planè incognitus, & urgente necessitate ob bonum publicum introductus, quamobrem in Jure Romano nullus reperitur textus, qui de eo in terminis loquatur, quantumvis enim in *L. 2. §. 7. ff. de eo quod cert. loc.* mentio fiat stipulationis, quā quis contrahendo promittit, se certo loco daturum & soluturum, sic quidem, ut is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quàm in quo promisit, solvere invito stipulatore possit, *L. 9. eod. tit.* hanc tamen toto cælo differre à contractu

tractu cambiali, quivis perponderans definitionem cambii *Dissert. seq.* dandam facile deprehendet, neque enim ex Jure communi creditoribus concessa sunt illa indemnisationis remedia, quæ ex stylo creditoribus cambialibus subministrantur, ut novum hunc esse contractum manifestè pateat, mirum itaque videri non debet, si casibus noviter emergentibus ac pro occurrentibus rerum circumstantiis ex æquitate (cujus præcipuam rationem haberi vult *L. 8. Cod. de judic. L. 1. in pr. ff. de just. & jur.*) specialia multa in foro Mercatorum inducta reperiantur, cum in causa jus sit positum, & ex re jus constituatur, *L. 52. §. 2. ff. ad l. aquil.*

- §. 2. Tempus verò primæ originis si indagare velis, certum vix assignari potest, tum propter defectum veterum Scriptorum, qui hoc posteritati obscurum reliquerunt, tum propter discrepantes hoc in puncto Recentiorum opiniones; negotium enim cambiale Romanis cognitum fuisse velle videtur Heidiger *Anleitung zum Wechsel-Recht cap. 4.* Alii cambiorum originem ad Aristotelis usque ætatem extendunt, alii rejectis horum sententiis probabilior videtur illa quam sequitur Bod. *de camb. thes. 1. lit. H.* tempus originis cum Raph. de Turri *disp. 1. q. 4. n. 2.* statuens sæculum à Christo nato duodecimum, initio verò sæculi decimi quarti cambia pluribus in locis usitata fuisse, demonstrat idem Bod. *loc. cit.* sed imperfecta, vaga & irregularia, donec tandem sæculo decimo sexto circa medium inventa sint cambia regularia ab omni sua parte perfecta, quæ propter summam utilitatem in hoc contractu exuberantem in Italia, Hispania, Gallia, Germania, Anglia, Dania, Polonia, Suecia, & quousque patet orbis Chri-

Christianus per universalem consuetudinem recepta sunt, Camill. Borell. *sum. Decis. part. 2. tit. 23. n. 74.* imò nec hisce limitibus contineri potuerunt, sed ad ipsa etiam Asia & Africae emporia penetrârunt. Camill. Borell. *cit. loc. n. 101.* Lupus *de usur. comment. 3. §. 2. n. 64. §. n. 74. in fin.*

DISSERTATIO III.

De definitione Cambii.

QUamvis Authore Javoleno in *l. 202. ff. R. f.* omnis definitio in jure sit periculosa, quia tamen omnis, quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio à definitione proficisci debet, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur, Cic. *lib. 1. de offic.* ad faciliorem tractandorum intelligentiam definitionem seu potiùs ejusdem descriptionem (siquidem in jure exactas definitiones juxta argutas Dialecticorum regulas explorare, haud est necessum, Joan. Faber in *§. sine scripto Inst. de jure natur. gent. §. civil.*) do sequentem:

Cambium est *contractus nominatus, consensualis, bonæ fidei, dandi & reddendi tantundem pecuniæ certo tempore, in diversis locis, re & pretio constans.* similis ponitur in jure cambiali regni Sueciæ de anno 1671. *art. 1.* coincidunt illæ quas tradunt Bod. *thes. 1.* Vogt *de camb. thes. 2.* Heidig. *cap. 2.* loco generis ponuntur verba: *Contractus nominatus consensualis bonæ fidei.* Reliqua quæ sequuntur, subeunt differentię partes.

Dicitur autem 1. cambium *contractus* non nudum pactum, §. 2. quia est conventio super negotio civili obligationem produ-cens, Text. in *l. 15. ff. de præscript. verb. & ibidem Gothof.*